



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

III. De Jure docendi verbum Divinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

prædicatione verbi, administratione Sacramentorum, ordinatione &c. confisit, comprehendat, hæc verò causas alias Ecclesiasticas concernat, Principis inspectioni succumbentes, ejusque constitutionibus materiam subternentes. Quas prolixius exponere non est hujus loci.

CAP. III.

De Jure docendi verbum divinum.

I.

EX instituto divino nemo sibi hunc honorem sumere debet, nisi vocatus. *Ebr. V, 4.* Vocetur necesse est, qui sacris manum admovet. Quomodo enim prædicabunt, nisi missi fuerint. *Rom. X, 15.* Ex quo rectè concluditur, non vocatis, etsi eruditione & internâ facultate docendi sufficienter instructis, non licere docere publicè in Ecclesiâ, per interdictum non solum humani & positivi, quod in plerisque omnibus Ecclesiis prostat, sed etiam divini juris. Et in hoc scilicet triumphat Apostolus, quod vocatus, quod ad Evangelium prædicandum segregatus sit, & ex eo speciales sibi tribuit dignatis titulos. *Rom. I, 1.* Quemadmodum enim Christus ipse non usurpavit sibi honorem dignitatis Regiæ & Sacerdotalis, sed utrumq; à Patre acceptum exercuit: sic etiam nemo sine vocatione divinâ, publica munera in Ecclesiâ usurpare debet, ejusque vocationis unusquisque, qui vocatus est, conscius esse debet, nec munus istud Ecclesiasticum aggredi licet prius, quàm de legitimâ vocatione per externa symbola constiterit.

II. Optimè in hanc rem Leo Magnus *epist. 62. ad Maximum Episcopum Antiochenum*: Illud quoque dilectionem tuam convenit præcavere, ut præter eos, qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi jus docendi & prædicandi audeat vendicare, sive sit ille monachus, sive sit Laicus, qui alicujus scientiæ nomine gloriatur. Quia etsi optandum est, ut omnes Ecclesiæ filii, quæ recta & sana sunt, sapiant; non tamen permittendum est, ut quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus gradum sibi prædicatoris assumat, quum in Ecclesiâ DEI omnia ordinata esse conveniat. Et *epist. 63. ad Theodoretum Cyri Episcopum*: Specialiter statuentes, ut præter Domini Sacerdotes nullus audeat prædicare, seu monachus sive ille sit Laicus, qui cujuslibet scientiæ nomine gloriatur. Nempe non sufficit scientia, & eruditio, quantumvis insignis & planè singularis, cum ea utique in Laico sæpè excellentior esse queat, quàm in Sacerdote; sed necesse est, ut accedat specialis vocatio, quâ quis destinatur ad ministerium Ecclesiasticum, & per quam præter divinum, quam ab ingenio habet, etiam *ἐξ ἑσῆων* accipit, extrinsecus & à populo vocante sibi communicatam.

III. In-

III. Inter Sacerdotes verò præcipuè Episcopo convenit, ut sit *διδάκτων* aptus ad docendum. Idque tam necessarium in eo est requisitum, ut Apostolus dicat *1. Tim. III, 2.* oportere Episcopum esse *διδάκτων*. Oportet, inquit, oportet Episcopum Doctorem esse, ut potens sit exhortari doctrinâ sanâ, & qui contradicunt, convincere. *Tit. I, 9.* Nec enim audiendi sunt illi, qui docibilem tantum ex verbo *διδάκτων* sibi cudunt Episcopum, ac si sufficeret, doceri eum posse & habere ingenium aptum ad discendum. Oportet quidem Episcopum non docere tantum, sed insuper etiam discere, quia is melius docet, qui quotidie adhuc discit, & in doctrinâ proficit; sed hæc non est intentio Pauli, qui *b. l.* non discendi sed docendi facultatem exigit, ut in rebus divinis sit eruditus, & doctrinam sanam à Salvatore Christo propositam docere possit alios, utque oves sibi concreditas verbo divino pascere, & infestantibus lupis resistere queat. Hoc non consulit tantum & hortatur Apostolus, sed præcipit etiam, urget ac decernit ex ore Domini.

IV. Ad eundem modum scribit Paulus *Ephes. IV, 11.* quod Christus alios quidem dederit Apostolos: alios verò Prophetas: alios autem Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores. Pastores & Doctores dum combinantur, nec alii à se invicem dicuntur, Paulino, quid interesset, sciscitanti, D. Augustinus eosdem sibi videri respondet, *epist. 58. 59. quæst. 4.* ita ut pastor esse nequeat, nisi qui doceat, neq; adeò constitui possit Episcopus, nisi is simul doceat, quos pascit. Hanc eandem interpretationem etiam proponit Hieronymus *lib. 2. in epist. ad Ephes.* dum ait: *Nec verò putandum est, quod sicut in superioribus alios dixit Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas: ita in Pastoribus & magistris officia diversa posuerit. Non enim ait: alios autem pastores, & alios Magistros: ut qui Pastor est, esse debeat & magister, nec in Ecclesiis quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen assumere, nisi possit docere, quos pascit, vel certe aliter: ut unus atq; idem præses Ecclesiæ sit Pastor & Doctor. Pastor enim ovium Magister est hominum.* Et paulo post: *Si quis igitur plebem sibi subjectam non instruit, ut de subjecto populo Christi Ecclesia construat, iste nec Apostolus, nec Prophetas, nec Evangelista, nec Pastor, nec Magister est appellandus.*

V. Sixtus Senensis *bibl. lib. 6. annot. 301.* dum videt, verba hæc Hieronymi repugnare praxi Episcoporum hodiernæ, non ita accipienda esse, post alios monet, ac si nemo Episcopus & Ecclesiæ Pastor esse queat, qui non doceat aut docere non possit, cum utique multi sint veri & optimi Episcopi, qui legitimis impedimentis detenti docere nequeant, sed sentiendum esse, eum qui nec per se, nec per alium docere curat, indignum esse Pastoris dignitate ac nomine, & imò satisfecisse pastoralis curæ officio iudicandum esse eum, qui dum ipse plebem instruere non valeat, per idoneos

ministros plebem suam in doctrinâ Domini erudiat. Huic verò haud parum contortæ explanationi sufficiat opponere querelam Claudii Espencæi Theologi Parisiensis ex lib. 2. digress. cap. 2. in hæc verba sententiam suam effundentis: *Sed aliunde, dices, districti, alienâ linguâ docent. Hæc illi Helena, non jam Troje, sed ut veteris Synagogæ, ita novæ Ecclesia certo certior pernicies & ruina. Et nobis enim, ut priscis, divinam censuram minari, certo certius est, si Domini legem atq; judicia profanaverimus, eum nos in virgâ & flagellis visitaturum Psalm. 88. Quo autem tempore Hebræorum Sacerdotes non jam altaris muniis additi & officiis dediti, sed contempto DEI templo, neglectis ejus sacrificiis Græcorum glorias, certamina, spectacula sectari cœperunt, quibus per omnia similes esse studuerunt, eosdem etiam habuerunt hostes, ultores, peremptores.*

-- -- Idem verò, quodq; plus mireris, in medio martyriorum astudoluit D. Cypriano, plures jam tùm Episcopos, (quos & ornamento ceteris esse oportebat & exemplo,) divinâ procuratione contemptâ, procuratores rerum secularium fieri, cathedrâ relictâ, plebe desertâ, per alienas provincias oberrare, negotiationis questuose nundinas aucupari, esurientibus in Ecclesiâ fratribus argentum largiter habere, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus augere. Et anon queso nobis idem quod Judæis ante dictis contigit? ut dum Ecclesiastici palatia magis, quàm templa colunt ac frequentant, seculares, quorum instituta emulantur, eosdem habeant ferantq; pœnarum, nedum pecuniarum asperrimos exactores.

-- -- Nec finis ante futurus, quàm qui se *ἀντινομικούς* Ecclesiasticos vocant, sua ipsi tractent, aliena & profana in eorum, quos forte contemptim Laicos & seculares vocant, humeros rejiciant. Quid enim alioqui faciant primo & Apostolico Scto, per Petrum Apostolorum præsidem ita recitato? Non est æquum, non placet, nos derelicto DEI verbo ministrare mensis &c.

VI. Nec profectò aliud officium injunctum fuit Apostolis, quorum Successores esse debent Episcopi, nisi ut doceant & baptizent, *Matth. 28, 19. Μαθητεύσατε*, inquit, h. e. facite & colligite mihi discipulos per doctrinam, quam à me accepistis. Idcirco putavit Apostolus, *1. Cor. IX, 16.* non sibi tantum uni, sed successoribus omnibus væ sive malè futurum, nisi doceant aut prædicent. Istud enim væ ad successores omnes, qui negligentes in officio prædicandi fuerint, applicat B. Ambrosius *lib. 1. de Offic.* Nos quibus in verbis divinis credita est dispensatio, quiq; Christi gregem nutriendum suscepimus, non sine ingentis periculi noxâ nos credimus evasuros, si non secundum hunc modum vivamus aut etiam si minimè prædicamus: ad quod licet nos retardet vitæ improbitas, invitat tamen præcepti necessitas. Et væ jam mihi est, si minimè prædicavero, si susceptum thesaurum defodero, & occulvero, verbi divini lucernam compressam retinvero, non cunctorum oculis manifestavero, non humane imperitiæ claustra Regni cælestis clavibus reseravero. In eandem sententiam pero-

peroravit in Synodo Romanâ VI. Symmachus Papa: *Væ enim erit nobis, qui hujus ministerii onus susceptum habemus, si veritatem Salvatoris nostri Jesu Christi, quam Apostoli prædicaverunt, prædicare neglexerimus. Væ erit nobis, si silentio veritatem oppresserimus, qui erogare nummulariis jubemur, id est Christianos populos imbuere & docere. Quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si sermonum ejus veritatem confundimur prædicare? Quid erit de nobis, cum de commissis nobis animabus & de officio suscepto rationem justus judex Christus DEUS noster districtam exegerit? Ideò nos oportet semper nocivam resecare, & auxiliante Domino, profutura erigere. Unde objurgando, hortando, suadendo, blandiendo, consulendo prodesse, quibus possumus, festinemus. Lingua nostra bonis fomentum sit, pravis aculeus, timides retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, desides hortando succendat, refugientibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos consuletur, ut, quia Doctores dicimur, viam salutis gradientibus ostendamus &c.*

VII. *Hæc duo sunt Pontificis opera, (inquit Origenes homil. 6. ad cap. 8. Levitici, quæ tamen verba Hieronymo tribuit Gratianus c. si quis dist. 36.) ut aut à DEO discat legendo scripturas divinas, & sæpius meditando: aut populum doceat. Sed illa doceat, quæ à DEO ipse didicerit. Utque huic suo officio eo diligentius & ardentiore cum studio incumbat Episcopus, constitutum fuit in Concilio Carthaginiensi IV. c. 20. ut nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni, & orationi, & verbo prædicationis tantummodo vacet. Et in synodo quinifextâ in Trullo habitâ can. 19. jubentur Episcopi, qui præsentunt Ecclesiis in omnibus quidem diebus, sed præcipue dominicis, omnem clerum & populum docere pietatis & rectæ religionis eloquia. Ad quem canonem Theodorus Balsamon, nota, inquit, quod populum docere solis Episcopis datum est, & magnæ Ecclesiæ Doctores patriarchæ jure docent. Hinc igitur Episcopus τὸν λόγον ὡς ἐσθλῶς, præses verbi divini appellatur apud Euseb. lib. 7. hist. Eccles. cap. 13. minister verbi, scientiæ custos, mediator DEI, magister pietatis ac religionis, apud autorem Constitutionum Apostolicarum lib. 2. cap. 26. magister Ecclesiæ, apud Salvianum Masfiliens. epist. 8. propterea scilicet quod magisterium ejus in doctrinâ pariter & exemplari vitâ sese exerere debet.*

VIII. Adeò verò proprium Episcopis creditum aliquando fuit prædicandi officium, ut ab eo prorsus excluderentur presbyteri. De Alexandrinis testatur Sozomenus lib. 7. hist. Eccl. c. 19. quod apud eos solus civitatis Episcopus concionetur. *Quam consuetudinem, inquit, cum antea non fuisset, introductam esse ferunt, ex quo Arius Presbyter de doctrinâ fidei differens, nova dogmata invenit. Eadem videtur inter Africanos invaluisse consuetudo. Cum enim Valerius Hipponensis Episcopus Augustinum sibi assumpsisset Evangelii prædicandi causâ contra usum & consuetudinem Africanarum Ecclesiarum, obrectatores passus & nonnullos Episcopos, uti refert Possidius in vit. Augustini cap. 5. Morem tamen istum, qui in quibusdam etiam*

etiam aliis Ecclesiis receptus fuerat, ut præsentente Episcopo filerent presbyteri, acriter perstringit Hieronymus ad Nepotianum, *epist. 2. Pesimæ consuetudinis est, in quibusdam Ecclesiis tacere presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui, quasi aut inuideant, aut non dignentur audire.* Idem Hieronymus, siue quisquis est autor libri vel epistolæ de septem gradibus Ecclesiæ ad Rusticum Episcopum Narbonensem apud Gratianum *c. ecce dist. 95. Presbyteri duplici bonore honorentur, maximè, qui laborant verbo DEI: prædicare eos decet, --- nemo hinc episcoporum inuidiâ diabolicæ tentationis inflatus irascatur, si plebem interdum presbyteri exhortentur, si in Ecclesiis prædicent, si plebi benedicant.* Inde verò Episcoporum siue inconsultam arrogantiam siue ambitiosum Zelum discere licet, qui, quod sibi commune erat jure divino cum presbyteris, ad se solos rapiabant, cum in verso hodiè ordine officium istud prorsus declinent, & quibusvis aliis siue presbyteris, siue monachis non sine dedecore relinquunt.

IX. In Româ tamen urbe nullas suo tempore habitas fuisse conciones, testis est Sozomenus *d. lib. 7. cap. 19. In eâdem Urbe, inquit, nec Episcopus, nec alius quisquam in Ecclesiâ populum docet.* Mirum id esse, ait Henricus Valefius in annotationibus, idemque confirmari à Casiodoro historiæ tripartitæ auctore, nec obstare Leonis Papæ sermones ad populum, qui adhuc extant, quod exemplum id Sozomeno sit recentius. Sed enim Leo Magnus in cathedram Romanam euectus est anno CDXL. atq; ita si superstitem non habuit Sozomenum, ejus tamen ætatem quam proximè attigit, cum uterque sub Theodosio juniore vixerit. Nec puto tamen, Leonem seculi sui mores tam subitâ & repentinâ metamorphosi immutaturum fuisse, nisi exempla antecessorum suorum habuisset, Casiodori autem ævo, qui Sozomeno integris ferè centum annis posterior fuit, negligentiores in officio suo fuisse Pontifices Romanos mirum non est, quippe qui eo tempore seculari luxu & superbiâ superare principes non verebantur. Et quia Casiodorus historiâ suam tripartitam ex Socratis, Sozomeni & Theodoriti scriptis concinnavit, dubitare licet, annon ille Sozomeni historiâ corruperit, & suo tempori conformem fecerit. Id quod aliis discutiendum relinquo.

X. Qui ita olim, uti supra dixi, aliis omnibus exclusis, ad se solos translatum voluerunt prædicandi officium, posterioribus temporibus prorsus neglexerunt, & quasi pro derelicto habuerunt, ita ut istud deinceps cederet occupanti. Ubi observo, seculo nono sensim invaluisse Episcoporum hanc in concionando desidiam, & jam tum eos alieno ore sermones habuisse ad populum. Id enim haud obscure prodit canon. 16. Concilii Valentini III. ubi constitutum legitur: *Ut unusquisq; nostrum siue per se, siue per aliquem vel aliquos ex ministris Ecclesiæ fideliter doctos ita verbum prædicationis tam in Urbe, quam foris, in plebibus exhibeat, ut omninò eis admonitio & exhortatio salutaris deesse*

deesse non possit &c. Nec dubium mihi est, permisione hac, ut per alios prædicare liceret, semel concessâ & per decretum conciliare firmatâ, Episcopos deinceps prorsus suum id munus neglexisse. Cumque nec presbyteri quidem multo diligentiores essent, occuparunt tandem illam provinciam Monachi, quibus tamen, uti supra dixi, antiquitus potestas prædicandi prorsus interdicta erat, cum monachus, uti apud Gratianum legitur c. 4. caus. 16. q. 1. non docentis, sed plangentis habeat officium. Et hæc fuit præcipua causa Monachalium concionum, quod tam altas deinceps radices egerint; quanquam Papius Massonius lib. 3. anal. illas non ex desidiâ Episcoporum, sed hanc potius ex illis ortum habuisse contendat. *Hi ordines*, inquit, *per Europam diffusi docendi munus in Ecclesiâ suscepere: unde evenit, ut Episcopi & paræciarum Rectores soliti ad id tempus sacras conciones ad populum habere, deinceps in alto ferè otio vixerint.* Rectius omninò ex Dominicanorum ordine Antonius histor. part. 3. tit. 23. c. 1. Divina providentia animadvertens, Pontifices loca tenentes Apostolorum parochialesq; Sacerdotes successores LXXII. discipulorum, quos ad prædicandum Dominus Jhesus Christus eligens destinavit per orbem, ab officio prædicationis quasi cessare, & multo magis ab hæresium extirpatione, & in Zelo animarum tepescere, Ecclesie sue sacrosantæ affluenter providit, suscitando tempore illo Ordinem mendicantium, qui his tam solerter quam ardentè insisterent. Hic tamen ordo bifariam distinctus invenitur: in prædicatores videlicet & *Minores*, quibus tamen adjuncti sunt ex privilegio Eremitani & Carmelite. -- Hi status mendicantium utrumque statum videntur comprehendere: Prelatorum Ecclesie, Episcoporum & aliorum, quoad actum doctrine & prædicationis, spectantis ad vitam activam: & statum Religiosorum, seu monachorum, deservientium contemplative, quoad ceremonias regulares & officia.

XI. Quibus autem artibus alienam istam provinciam involarunt primum, optimè explicat Matthæus Parisius monachus Albanensis in Angliâ in chron. p. 286. Anno MCCXXXV. quidam de fratribus Minorum, nec non & aliqui de ordine Prædicatorum, impudenter nimis, sue professionis & ordinis immemores, in territoria aliquorum nobilium cœnobiorum se clam ingesserunt, sub pretextu officii sui adimplendi, & velut post crastinam prædicationem recessuri. Sed vel infirmitatem, vel quippiam aliud simulantes manserunt, & fabricato ex ligno altari, superpositoq; altariolo lapideo benedicto secum allato, Missas clandestinas demissâ voce celebrarunt, confessiones multorum receperunt etiam parochialium in præjudicium presbyterorum. Dicebant namque se talem à Domino Papâ suscepisse potestatem, ut eis scil. fideles, quæ suo erubescunt Sacerdoti confiteri, vel dedignantur, quia consimili peccato constringuntur, vel timent, quia temulento, confiteantur: quibus injungant *Minores* pœnitentias, & absolvant. Interim ad Romanam Curiam misso procuratore festino & diligenti, contra Re-

ligiosos, in quorum debebant territorio, concessam impetrarunt cum aliquo adjun-
cto beneficio mansionem &c.

XII. Alibi refert idem Parisiensis, quâ ratione circa annum Domini
MCCXLVI. Fratres prædicatores impetratis à Gregorio IX. & Innocen-
tio IV. privilegiis latificati & magnificati, varios Ecclesiarum Prælatos, Epi-
scopos, Archidiaconos, in Synodis suis præfidentes (ubi multi & magni Viri, vi-
delicet Decani, presbyteri & vicarii, nec non & Ecclesiarum Rectores cum clericis
convenerant) procaciter alloquentes, indulta sibi privilegia in propatulo demon-
strarunt, erectâ cervicè ea exigentes recitari, & in eorum Ecclesiis veneranter re-
cipi & commendari, & ad prædicandum populo, sine aliquâ contradictione, vel in
Synodis, vel in Ecclesiis parochianis, quasi Legatos, vel etiam DEI angelos ad-
mitti, & se ingerentes nimis impudenter, rogitabant singulos, etiam sæpè viros
religiosos: esne confessus? Quibus si responsum fuisset: etiam; à quo? à Sacerdote
meo. Et quis ille idiota? nunquam Theologiam audivit, nunquam in Decretis
vigilavit, nunquam unam questionem didicit enodare. Cæci sunt & duces ca-
ecorum. Ad nos accedite, qui novimus lepram à lepra distinguere: quibus ardua,
quibus difficilia, quibus DEI secreta patuerunt. Nobis confitemini imperterriti,
quibus tanta, ut jam videtis & auditis, concessa est potestas. Multi igitur præ-
cipuè nobiles & nobilium Uxores, spretis propriis Sacerdotibus & prælatis, ipsis
prædicatoribus confitebantur &c.

XIII. Perstiterant diu in affectato hoc munere suo Monachi, cum
Episcopi ex veterano tandem excitati, & ad saniolem mentem revocati,
amissam prædicandi partem seriùs deplorarent. Agitata fuit causa ista
ex eorum suggestione potissimum in Concilio Tridentino, in quo tamen,
non ut ipsis sibi concionari deinceps licitum esset, sed ut de idoneis tan-
tùm instituendo populo hominibus prospiciendi, & in homines his ministe-
riis propositos inspiciendi cura atque potestas committeretur, cautè ad-
modum & circumspèctè postularunt. Concionandi enim id munus ab-
jectum nimis & ab fastigio Episcopali alienum visum fuit. Illis verò ma-
ximâ cum indignitate objiciebant Regularium Generales, neglecto ab Epi-
scopis & Curionibus pastoris officio in eum modum, ut compluribus seculis
neque templa ad populum concionibus, neque scholæ doctrinâ Theologiæ
personarent, DEUM mendicantium ordines excitasse refarciendis functio-
num necessariorum defectibus, quas ipsi haudquaquam invaserint, sed su-
premi pastoris concessione obtinuerint. Ejus cum potissimum interfit
pascere gregem Domini, injuriâ illud affirmari, quos ipse suffecisset sup-
plendis eorum defectibus, qui curam ejus gregis, ad quam ex officio tene-
bantur, abjecissent, in alienam messem falcem immisisse, imò potius dicen-
dum, nisi ipsi charitate & amore officium illud præsticissent, Christiani no-
minis vestigium vix fuisse superfuturum. Jam, ex quo trecentos annos &
supra

supra pio huic operi cum manifesto hominum bono vacaverint, & bonæ fidei à summo Pastore Romano Pontifice donationis titulo, longissimique temporis præscriptione, functiones eas sui juris fecerint, non esse, quod Episcopi litem ipsis moveant, aut prisca temporis usum obtendant recuperando huic officio, quod illi tot seculis ultrò deseruerint &c. Litem istam prolixius describit Petrus Svavis in *bist. Concil. Trid. lib. 2.* Nec puto tamen, concionandi potestatem à mendicantibus fratribus usurpatam adeò invisam fuisse Episcopis, quippe qui non tam prædicandi munus eis invidebant, quàm quod illi à suâ jurisdictione exempti esse vellent, & quotidianos interciperent reditûs. Ipsi certè Episcopi in ipso hoc Concilio Tridentino tam studiosi non fuerunt concionum habendarum, ut inde aliquod de Zelo eorum peti potuisset argumentum. Et memorabile est, in conventu LX. Episcoporum & XXX. Fratrum Theologorum, qui prædicandi officio assueverant, tum temporis, cum sessio VII. habenda esset, ne unum quidem potuissent reperiri idoneum, quatuor verba fari, etiam quatuor horarum spacio dato ad præmeditandum, uti refert idem Petrus Svavis.

XIV. Nihilominus tamen in Concilio Tridentino decretum fuit, omnes Episcopos, Archiepiscopos, primates & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per seipos ad prædicandum sanctum Jesu Christi evangelium. Nec enim potuerunt aliter decernere, si quidem institutionem divinam & praxin Apostolicam observare non puduerit. At verò, quàm parùm efficax decretum illud fuerit, & experientia mox comprobavit, & justa Claudii Espencæi querela, cujus d. l. hæc sunt verba: *Sed quid horum, queso, servatur? Quotusquisque prælatorum majorum minorumve populum suum docere videtur? an illi ipsi decreti hujus autores unquam docuerunt? quorum exemplo alii ad docendum aliaq; munera sua facienda excitarentur? Certè, ex nostratibus Episcopis, qui Tridenti & Bononiæ pars aliquota fuerunt, nemo per se, quod quidem audiverim, docet. Ludimusne in re adeò seriâ? an potiùs hæc decretorum specie reformationem poscentibus illudimus? Quid emendationis sperari potest à nobis, nostra tam recens edita non observantibus? Novi Episcopos etiam Græcè peritos, qui se ut ad istam docendi servitutem demittant, ad istas sordes descendant, (generosi scil. & excelsi Viri) teneri præfratè negent: quod cum Episcopos affecuti sunt, mos is non esset: quasi contra perpetuam DEI legem ulla hominum prevaleat desuetudo magis, quam consuetudo. Quos cum omnis omnium temporum natura, scriptura, Ecclesia, Concilia, Pontifices, Cæsares, superi, inferi, accusent damnentq;, quis est, qui absolvat? Plura sequuntur ejusmodi *σηλυπωνα*, quæ apud ipsum videri possunt. Uti & in ejusdem commentar. ad cap. 1. epist. ad Tit. ubi cum de impedimentis concionandi provinciam retardantibus objectionem sibi movisset, ita respondet: *Sed legitime impediti sunt. Equibus queso impedimentis? aulicis, bellicis, civicis, profanis, a-**

blicis, veris sanè impedimentis; sed quæ quid aliud quàm sunt excusationes in peccatis?

XV. Ante eum simili invecivâ Episcopos malè *Ἰστορικὸν ἔγγραφο* perstrinxit Nicolaus de Clemangiis Archidiaconus Bajocensis *epist.* 75. Dicit fortè aliquis, inquit, meritò illos excusari, si non temerè ad predicandum se ingerant, cum illam artem non didicerint, temeritatis enim plenum est, quempiam id exercere velle, quod non didicit. Si sua sibi consciis erant ignorantia, quæ eos latere non poterat, quæ ergo ad id se impudentiâ ingerebant. Quod eam artem requirebat, eam notitiam poscebat, id exercitium habebat annexum, cum id etiam ultrò oblatum recusare non suscipere debuisset. Sanè non aliter à temeritatis vitio purgantur, quam homo nauticæ prorsus artis imperitus, si aliorum in mari turbido navigantium gubernator effici flagitet, quos inter tumentes fluctus omnes secum pariter demergat. Desperat autem ipse tandem Espencæus, obtineri ab Episcopis aliud aliquando posse, idcirco admonet eos, ut per inferiores Clericos, sed eruditiores factitent, quod à se præstari minus posse vident & suspirant.

XVI. Ut redeamus ad ea, quæ de Episcopis concionantibus subinde leguntur, observat Henricus Valesius *ad Socrat. lib. 6. cap. 5.* Episcopos olim non ex ambone, sed in gradibus altaris verba fecisse. Idque probat ex antiquâ Childeberti Regis constitutione, quam recenset Jacobus Sirmundus *tom. 1. Concil. Gall.* sed verbis illis, quæ huc faciunt, mutilam & mancã, & ea quidem Valesius ex vetustissimo Codice Corbejensi hunc in modum supplet: *Qualiter in sacrilegos DEI injuria vindicetur, nostrum est pertractandum. Et quia fides nostra, ut verba de altario sacerdote faciente, quæcunq; de Evangelio, Prophetis vel apostolo fuerit annunciatum, in quantum DEUS dat intellectum: ad nos querimonia processit &c.* Utrum perpetuum id fuerit, non ausim asserere. Ex cathedrâ enim suâ videntur docuisse Episcopi, quæ, utrum in altaris gradibus posita semper fuerit, dubiè admodum statuatur. Et fortassè alicubi cathedra illa è regione altaris collocata fuit. Sic enim capio verba Prudentii *in passione Hippolyti, prope finem.*

*At medios aperit tractus vialatior alti
culminis, exurgens editiore apice.*

*Fronte sub adversâ gradibus sublime tribunal
Tollitur, Antistes prædicat unde DEUM.*

Et quia ex cathedrâ verba ab Episcopis facta fuisse dixi, conficere inde licet, sedendo conciones fuisse habitas. Sic enim sedere in cathedrâ perpetuò legitur tum in Scripturâ Sacrà, tum apud bonos autores. Auditores autem stantes non sedentes attendebant. Utramque & sedendi ex parte Doctorum & audiendi ex auditorum parte, consuetudinem colligere licet

ex

ex verbis Optati Milevitani lib. 4. aduers. Donatistas: *Electi estis, qui sedentes populum doceatis, & detrahitis nobis, utiq; fratribus vestris.* -- Ergo unicuiq; vestrum dictum est: *Sedens aduersus fratrem tuum denotabas & aduersus filium matris tue ponebas scandalum.* Dum peccatorem arguit & sedentem increpat **DEUS**, specialiter ad vos dictum esse constat non ad populum, qui in Ecclesia non habet sedendi licentiam. Sic & Constantinus M. laudatur ab Eusebio in ipsius vita, lib. 4. cap. 33. quod sibi de Servatoris nostri sepulchro concionanti, stans ipse cum cæteris aures præbuerit, pium & religiosum esse, dictitans, ut de rebus diuinis stantes audiant. In aliquibus tamen Ecclesiis etiam auditoribus sua fuisse sedilia, idque attentioni magis commodum esse, scribit Augustinus lib. de catechiz. rud. c. 13. Longeq; ait, *consultius in quibusdam transmarinis Ecclesiis non solum Antistites sedentes loquuntur ad populum; sed ipsi etiam populo sedilia subjacent: ne quisquam infirmior stando lassatus, à saluberrimâ intentione auertatur, aut etiam cogatur abscedere.*

XVII. Sed uti externa hæc sunt, & arbitrio hominum relicta; ita seruandum illud, quod iure diuino institutum est, ut ipse doceat & pascat oves suas Episcopus. Grave namque est pondus sacerdotii, uti loquitur Gregorius Magnus lib. 2. epist. 39. ind. 10. De prædicationis semper ministerio cogitet: *intentissimo timore considerans, quod recessurus ad percipiendum regnum Dominus & talenta seruis distribuens dicat: Negociamini, dum venio.* Quod profecto negocium tunc verè nos agimus, si vivendo & loquendo, proximorum animas lucramus, si infirmos quosq; cælestis regni gaudia prædicando in superno amore roboramus, si proteruos ac tumidos, gebennæ supplicia terribiliter insonando stetitimus, si nulli contra veritatem parcimus &c. Et quanquam viderit Episcopus, nihil omninò concionibus suis se proficere, non desinat tamen ille docere, admonere, increpare, arguere, objurgare, instare tempestivè & in tempestivè. *Sicut enim aquarum vene, etsi nullus veniat aquatum, manant tamen; & fontes, quamvis hauriat nemo, scatebras emittunt: ita Episcopus & Concionator verbum DEI prædicare debet, etiamsi pauci illum audiant & convertantur.* Verba sunt Chrysostomi homil. de Lazaro & divite in cap. 16. Luc. tom. 2.

CAP. IV.

De Potestate administrandi Sacramenta.

Etiam hæc potestas non Episcopo tantum, sed etiam presbytero competit, & jam olim in veteri Ecclesia communis fuit, sed ita, ut presbyteri id munus sub Episcopi inspectione esset, & ab ejus directione penderet.